

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Augustanae Confessionis Historiam, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto, Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis Breviter Vindicatam Dabunt**

**Wernsdorf, Gottlieb  
Seeger, Johann Friedrich**

**Vitembergae, 1705**

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67830)



80A 8946 2

*Handwritten scribble*

\*KSIFCARNI\*  
KUNST

11.  
Rf  
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 10.  
2. 10.

6.

Histor.



Conspectus  
Dissertationum ad histo-  
riam Lutheri, refor-  
mationis, A. S. C. et  
Ecclesiae Luther.  
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-  
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-  
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute  
Henrica, Lutheri, Matthiae Fla-  
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-  
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-  
cis Rom. Leonis X. litterae in-  
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus  
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa rumanus.  
7. loh. Wencesl. deus Lutherus  
cum sole comparatus.

8. Professio Wysbague in Christo  
deus, Professio, J. Martini

Lutherus <sup>praeter intentionem adhaeret</sup>  
lohi. Baldhaf. Bernhold de cha. <sup>in</sup> <sup>1619</sup>

factenbar pseudopropheta nuy  
in Martino Lutheri miratae  
omnium obavit.

10. Laurentii Rhodmanni oratio  
de praecipuis dei beneficiis a  
deo per VII. Saxoniae Electores  
et J. Martin. Lutherum et J.  
Philipp. Melancthonem in aca-  
demiam Witeberg. collata.


11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-  
therus Philippo Landgravo  
bigauriam concesserit.

12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-  
thero ex accinatione styli re-  
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-  
ciae J. Lutheri et J. Melanch-  
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-  
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevici oratio histo-  
rica de initio, causis et pro-  
gressu C. A. et de vita ac  
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-  
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusta-  
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-  
dei formulae praecipue A.  
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo  
A. Conf.

19. Io. Christ. Guesz filii de Au-  
gustana confessione Paltii dot-  
Sicii, medici Halensis cura grae-  
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-  
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-  
vinae providentiae vestigiis  
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland  
de Regulari summi numeris  
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus  
Ponderatione pro studio servatae  
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Latina se-  
culana in A. C.
25. Geshardi Fitzii, vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Oru. Caroli de Religio-  
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam  
lutheranam non schismaticam  
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia  
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio  
Gallia multis modis luthera-  
nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-  
mationis lutheranae tuba de  
perpetuo christianorum iubi-  
lata. Additus est catalogus  
doctorum et professorum theo-  
logiae in academia Witteber-  
gensi.

F r a n c.



<sup>57.</sup>  
I. N. I. A!

AUGUSTANÆ  
CONFSSIONIS  
HISTORIAM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO,*

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

PRINCIPE REGIO, ET ELECTORATUS  
SAX. HEREDE ETC.

IN

*CELEBERRIMA VITTEMBERGENSI*

A RECENTIORUM QUORUNDAM  
CORRUPTELIS BREVITER VINDI-  
CATAM DABUNT,

PRAESES,

GOTTLIEB WERNSDORFIUS,

THEOL. D. ET PROF. PUBL. EXTRAORD.

ET

RESPONDENS,

*Geistl. K. u. p. 117.*

JO. FRIDERICUS SEEGERUS,

PFEDELBACO-HOHENLOIGUS.

*V. CALEND. AUGUSTI A. R. S. c15 15 CCV.*

---

VITTEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

XIV

akr

CONFESSIO

RECTOR

ANNO 1748

CONFESSIO

CONFESSIO

1748

✓



Seculum a nato Servatore sextum & decimum cum aliis, quas recensere longum foret, tum his maxime de caulis, ad omnem posteritatem est memorabile, quod ejus sub initium Christianus Orbis, qua potiore sui partem, & barbariem, qua diu laborarat, deposuit, & Romani Pontificis jugum feliciter excussit. Ac literas quidem, saltem intra Germaniæ fines, præ ceteris instaurarunt Capnio, Erasmus, & post utrumque Melanchthon. Restitutæ vero repurgatæque religionis gloria, post DEum, haud dubie Luthero Nostro debetur, Viro, ipsorum hostium judicio, innocenti ac integro, docto præterea, & sacris in literis ultra seculi sui captum versato, eloquenti etiam, ac invicto animi robore suffulto, denique iis omnibus, quæ ad tantæ molis institutum feliciter persequendum requirebantur, dotibus ad excellentiam instructo. Hunc primum emendandæ religionis auctorem extitisse multi, iique gravissimi, scriptores memoriæ prodiderunt. *Jo. Sleidanus*, qui & istorum temporum fuit, & in vicina Helvetiis republica vixit, in suo *de statu relig. commentario L. I.* non a *Zwinglio*, sed ab *Luthero*, initia repurgatæ religionis arcescit, & anno demum seculi decimo nono *Ulr. Zwinglium* Samsoni Mediolanensi indulgentiarum, ut ajunt, Præconi, quum Tigurum venisset, sese opposuisse, sub finem *L. I. ex Stumpfs Chron. Helvet. L. VIII.* docet. Cujus auctoritati, quod opponeret *Hottingerus*, non habuit, quam ut scriberet: *Eum de Imperii, quam Helvetia historia, & Lutheri Zwingliique consensu, quam accurato temporis ordine, magis sollicitum fuisse*, in *H. E. Sec. XVI. P. II. c. III.*

p. 222. Quæ tamen eodem a nobis jure, eademque facilitate, negantur, quibus ab Hottingero sunt posita. *Seb. Münsterus*, Germaniæ suæ Strabo, qui Basileæ, & in Helvetiis eodem prope tempore floruit, sua in *Cosmographia c. CCCCLVII. fol. 1056.* refert, *Academix Vittembergensis Doctores primos omnium fuisse, qui inhærent Scripturis, humanasque traditiones rejicerent: Primum quoque repurgata in eadem doctrinæ auctorem vixisse M. Lutherum, der sey der erste Anfänger der reformirten Religion gewesen.* *Jo. Funccius*, gravis scriptor ac diligens, sua in *Chronologia* ad annum seculi XVI. septimum atque decimum *f. m. 167. M. Lutherus*, inquit, *primus omnium ob indulgentias impudenter venditas Romano Papæ se opponit. Quod ipsum L. Ostander confirmat, qui Cent. XVI. L. I. c. 21. p. 44.* theses, quas TeZelio Lutherus opposuit, *occasionem dedisse, scribit, admirandæ religionis reformationi, mox consecuta.* E Pontificiis vel unicum *Jo. Fabrum*, adduxisse sufficiat, qui, teste *Hottingero l. c. pag. 229.* ad Moguntinum quendam anno seculi XXIII. scripsit: *Apud Tigurinos novus Lutherus (Zwinglium notat) exoritur, qui tanto gravior est, quanto austeriorem populum habet. Quod si Zwinglius novus Lutherus fuit: Lutherum Zwinglio in sacris emendandis priorem fuisse oportuit. Sed & ipsos inter Cinglianos magno numero fuerunt, qui suo pro candore, & studio veritatis debitam Lutheri nostro laudem relinquerent. Ingenua cum primis est M. Buceri, Viri celeberrimi, confessio in Libro de vera Eccles. conciliatione f. 10. a. Dum, inquit, in acie stat Lutherus, alios, velut subsidiarios, qui in partem oneris subirent, Deus excitavit. Iis igitur armis instructi, quæ ille nobis ministraverat, (neque enim fateri pudet, quod res est, nos fuisse omnes ejus discipulos, ejusque magisterio & ductu ad lucem veritatis pervenisse)*

*in arenam descendimus. Lavaterus vero, qui Civis Tigurinus fuit, de ortu & progressu controv. Sacramentaria, f. 89. a. scribit: Am 18. Tag des Monats Febr. ist M. Lutherus, welcher der erste gewesen ist/ so zu unsern Zeiten/ mit vielfältigen Schreiben die Pöbstliche Verthumb/ und Mißbräuch öffentlich/ und mit starckem Gemüth widerfochten/ und bestritten hat/ aus diesem Leben abgeschieden. Et Auctor Hist. de Antiquit. Eccles. Britannica, Londini anno 1572. & Hanov. anno 1605. ed. f. 310. Hoc, inquit, anno (1517.) M. Lutherus, Monachus Augustinensis - - contra Leonem X. Papam indulgentiarum pretextu pecunias in Germania colligentem predicavit. Hunc mox in Helvetia Zwinglius, & Oecolampadius Argentorati secuti sunt, quorum doctrina Germania & Helvetia paulatim repleta a Pontificiis defecere. Consentit C. Peucerus in historica narrat. de Cæna Domini, pag. 2. edit. Amberg. anno 1596, & rem omnem extra controversiam collocat. Constat, inquit, Lutheri nomen a reprehensis abusibus, & erroribus Romanæ Ecclesie multo ante Zwinglium innotuisse, & eundem πρωταγωνιστήν, atque a Pontificiis præcipue petatum, & impugnatum, fuisse. Quare merito primas & præcipuas partes in hoc toto emendationis suscepta opere tribuimus, tanquam Organo Dei singulari. Extat quoque Abr. Buchholzeri, Chronologi exactissimi, hac de re testimonium, qui cum de thesibus Lutheri ad annum 1517. retulisset, subjungit: Hoc fuit primum classicum totius mutationis in religione, que postea est secuta. De Zwinglio autem biennio post demum, ad A. C. 1519. commemorat, quod Tiguri primam concionem habuerit, & Evangelium secundum Mattheum cœperit enarrare. Sed & Phil. Mornæus, æternum illud Gallicæ Nobilitatis decus, in Mystero Iniquit. seu Hist. Papatus n. 586. p. 556. instauratæ religionis initia manifesto a Luthero deducit, eundemque blasphemiam*

*miarum totam Europam inundantium impatientem in Germaniam contra Papam erupisse, testatur. Nec diffiteri audeat Abr. Scultetus in Annal. Dec. I. p. 8., quod Lutherus primus in disputationis Pontificiae arenam pertractus fuerit. Lætus etiam in Comp. Hist. Univ. p. 354. Zwinglium cum Luthero, non Lutherum cum Zwinglio operas suas conjunxisse, tradit. Sæpius autem hoc ipsum, fideliterque inculcat H. Altingius sub initium Narrat. histor. de Eccles. Palat. anno 1681. Gröningæ editæ: Initium, inquit, reformationis non aliunde rectius deducemus, quam NB. a primo Evangelii renati præcone, M. Luthero. Et f. 143. addit: Hæc est prima sementis Evangelii, quam Heidelbergæ, & in Palatinatu ministerio Lutheri Deus fieri voluit. Hæc prima, licet tenuia, reformationis fundamenta, a quibus cetera processerunt. Quæ comprobatur Frid. Spanhemius in Introd. min. ad hist. Eccles. sec. XVI. p. 543. & Lutherum Zwinglio disputandi materiam subministrasse, & a tenuibus Lutheri initiis Reformationis historiam arcesse debere, docet. Nec dissentit eruditissimus Auctor der Bewegung der Historie von den ersten Religionsmörten, qui p. 278. suo pro candore propalam fatetur, Lutherum prima reformationis fundamenta jecisse. Ipse igitur Lutherus ordinis, quo quidque gestum erat, minime ignarus, rectique sibi conscius, non inani quadam spe gloriæ ductus, sed debitæ sibi laudis, famæque suæ, ac dignitatis tenax, eandem sibi gloriam semel iterumque, ac sæpius vindicavit. Cujus quidem verba hoc minore cum invidia nos adducturos, speramus, quod ipse Hottingerus hanc Nostro erepturus laudem, quid præter aliqua Zwinglio jactantius scripta tuendæ cavillationi afferret, & liquidæ veritati opponeret, invenire vix potuit. Sic ergo in Tomum I. Jenensem præfatus f. 3. a. scribit: Ich war erstlich gar allein / ohn alle Gehülffen / und darzu die  
Wahrs*

Wahrheit zu sagen / allerdings ungeschickt &c. Et T. I. Is-  
leb. f. 85. in concione, quam redux Vittembergam factus,  
anno 1522. habuit: Ich bin ja der erste gewesen / den GOTT  
auff diesen Plan gesetzt hat: Ich bin auch der gewest / dem es  
GOTT zum ersten offenbahret hat / Euch solch sein Wort zu  
predigen &c. Et T. I. Wittenb. f. 120. a. ad Cap. III. Galat. ita  
docet: Saget doch an / habt ihr des Pabsts Tyranny us  
berwunden - - durch die Schwarm-Geister Lehre / oder durch  
Uns / die wir erstlich den Glauben an Christum geprediget  
haben. Et in Libro: daß die Wort Christi noch feste ste-  
hen / T. III. Jenensi f. 339. b. Sie haben zu bedencken / daß uns  
serem Gewissen und Glauben umb GOTTES Wort ja so ernst  
ist / als ihnen seyn kan umb ihren Glauben / weil wir ja auch  
gerne wolten selig werden / und zu GOTT kommen / hoffen  
auch / daß wir so viel dabey gethan haben / als sie / und NB.  
ehe denn sie. Quæ repetit im Bekäntniß vom H. Abends  
mahl T. III. Jen. f. 444. a. denuoque objicit Helvetiis im  
kurzen Bekäntniß vom Sacrament Tom. VIII. Jen. f. 178. b.  
& sapius alias, minime sua id pro modestia facturum, si  
vel in toto terrarum orbe, a quo arrogantia & ambi-  
tionis convinci possit, scivisset unicum. Quid? quod  
omnia foederis Smalcaldici membra & partes restitutæ  
religionis laudem tribuerunt Luthero, de quibus Philip-  
pus in suis ad Eundem literis Anno XXXVII. scriptis:  
*Hic, inquit, omnium principum & aliorum bonorum virorum  
vultus atque congressus fuerunt hilariores, postquam allata  
sunt tua literæ, spem vitæ ostendentes. Agnoscunt, tuo mini-  
sterio lucem Evangelii rursus patefactam esse, seque id debe-  
re Tibi, intelligunt, simul etiam perspiciunt, quantum detri-  
mentum acciperet Ecclesia, si nobis eripereris, &c. Vid. L. I.  
Epist. Melanct. p. 28.*

§. II. Quæ cum ita se habeant, mirari satis non possum impudentiam eorum, qui sua Lutherò eripere ornamenta, & ad Zwinglium transferre temerario dicam, an improbo, ausu tentant. Primus, quod norim, publico scripto apud *Helvetios* liquidam veritatem corrumperere, & Soli tantum non offundere tenebras est ausus *R. Gualterus*, qui in *dedicat. homil. in Matth. ad Josuam Wittenbachium* ita scribit: *Vestra genti non sola Helvetia nostra, verum etiam NB. Orbis Christianus debet per Huldéricum Zwinglium, & fidissimum ejus Achatem, Leonem Iudæ, factam Evangelicæ doctrinæ in Tigurina Ecclesia restitutionem.* Apud *Saxones* vero primus commenti hujus, perinde ut aliorum, auctor & defensor fuit *Christ. Pezelius*, qui, *P. IIX. Argument. Philippi p. 238. 239.* apud *Helvetios paulo ante Lutherum* emendationem doctrinæ & abusuum Pontificiorum coepisse, contendit. Hos secutus *Mich. Philippus Beutherus*, decennii integri prærogativam, uti testis est *Hottingerus l.c. p. 221.* Zwinglio non sine enormi absurditate tribuit. Tum vero *Moses Amyraldus de secess. ab Eccl. Rom. p. 44.* Zwinglium *viam ad reformationem in Helvetia anno integro, antequam Lutherus in Germania appareret, affectasse, docet.* Eandem tuetur sententiam *Hadrianus Regenvolscius, seu, ut verum nomen afferam, Andreas Wingerfcus in Hist. Eccl. Slav. p. 42.* nec non *G. Hornius in Compend. Histor. Eccl. pag. 170.* *Hottingerus autem in Hist. Eccl. sec. XVI. P. II. c. III. p. 202. seq.* Jure Zwinglium *ratione Ordinis in Reformatorem Catalogo præmitti, ut qui reformationis curam primus suscepit, prolixè, & data opera, disputat.* Denique *M. Arnoldus*, ut pessimam quamque sententiam avidissime sectatur & arripit, sic huic quoque cavillationi in suo hæreticarum fabularum Centone *L. XVI. c. V. f. 41.* applaudit, indignatus propemodum, quod auderent No-

ftri

ftri tantilla de re cum quoquam contendere, cum perinde sit, quo demum cunque Auctore ac duce ad Evangelii lucem redierint. Quasi vero in fanatici hominis gratiam deferenda sit veritas, vel etiam Viri, de toto coetu sacro immortaliter meriti negligenda sit dignitas. Bene & sapienter contra Pezelium, fabulæ hujus in Saxonibus instructorem *D. Nic. Selneccerus* in der Entwurfung seiner Gegenantwort p. 40. scribit: Daß wir von Luthero viel/ und tausendmahl vielmehr halten/ denn von allen andern/ auch seinen/ gelehrten/ und wohlverdienten Theologen, soll und wird uns niemand verdencken. Er ist groß für **GOTT**/ und das Werkzeug/ das **GOTT** lange zuvor/ in seinem Worte/ gedacht/ daß er durch ihn wolte das höchste Werk aussrichten für dem jüngsten Tage/ so nach Christi Geburth geschehen ist/ nemlich/ daß er durch ihn den verfluchten Antichrist offenbahret/ und mit dem Geist seines Mundes umgebracht hat/ 2. Theff. II. Dazu haben ja andere auch geholfen/ scilicet, nachdem Lutherus allein den ersten Sturm herüber hatte/ und nun dem Pabst seine Mauern an allen Orten gebrochen/ löcherig gemacht und hernieder gerissen. Wenn denn das Werk den Meister selbst lobet/ und kein vernünftiger Mensch das läugnen kan/ und der Pabst des öffentlich bekant ist --- Wie solten wir denn wider die augenscheinliche Beweissung diesen Mann dafür nicht ehren/ und in Würden halten/ den **GOTT** für allen gewürdiget hat zu dieser letzten Zeit? wie könten wir das für **GOTT** verantworten? *De Arnoldi tamen sententia parum interest, Cinglius a Luthero, an Lutherus a Cinglio sua petierit: Noster ab Helvetico, an Helveticus a Nostro primum coetu discesserit: Tigurum, an Vittembergæ, Ecclesiarum, quotquot emendata sacra sequuntur, constituatur Metropolis. Sed hic ipsos Reformatos inter li-*  
tem

tem peroret sententiamque ferat, in *Hist. Palat. Altingius*.  
*Quod, inquit, nascenti Evangelio Hierosolyma, id renascenti*  
*duæ insignes fuerunt Metropoles, Wittenberga Saxonum, &*  
*Tigurum, Helvetiæ Caput. Et Ecclesiæ quidem Palatinæ utram-*  
*que matrem & grato corde agnoscunt, & grato ore celebrant.*  
*Vittembergam quidem NB. quoad primam originem pri-*  
*maque incrementa, Tigurum vero quoad puritatem, clarita-*  
*tem & perfectionem. Nos igitur tam multis, tam gravi-*  
*bus, addo etiam domesticis, testimoniis nixi, Luthero soli*  
*gloriam susceptæ sacrorum instaurationis asserimus, lu-*  
*bricas suspectasque aliorum auctoritates parum morati.*  
*Gualterus enim, quod facile illa ex dedicatione apparet,*  
*Wittenbachianæ gentis gratiam cum Lutheri injuria ca-*  
*ptavit. Pezelius a Selneccero & aliis, vel centies est in*  
*mendacio deprehensus. Beutherus ab ipso Hottingero*  
*deseritur, ab aliis etiam ridetur. Regensvolsciis præter*  
*Gualterum, & nescio quod Bullingeri MSCtum, quos*  
*laudaret hoc in argumento, auctores non habuit. Hor-*  
*niius non satis sibi constat, ut qui l. c. toto ante Lutherum*  
*anno repurgandæ religionis initium fecisse Zwinglium scribit,*  
*& paucis tamen ante lineis affirmat: inveteratæ Pontificiæ*  
*tyrannidi qui se opponeret, fuisse neminem: solum M. Luthe-*  
*rum, virum acri ingenio præditum, id tentasse. Nam, si Zwin-*  
*glius suo ipsi exemplo præivit, nec primus, nec solus fuit,*  
*qui Pontificis auctoritatem labefactare conatus est. Sed*  
*&, quod mirum, doctissimus Hottingerus, sui non satis*  
*memor, ea proposuit, quæ secum conciliari non possunt.*  
*Zwinglium enim jure primum omnium Reformationum ha-*  
*beret, docet, & pag. tamen 197. reformationem dogmatum su-*  
*sceptam, & gravissima, quæ sunt secuta, certamina ab anno*  
*sec. XIX. arcessit. Cumque p. 201. impiam veniarum*  
*Pontif. mercaturam a Samsone anno eod. institutam, com-*  
*memo-*

memorasset, subjungit: *Hæc ratio fuit & occasio Reformationis.* Si ergo a veniis petita reformandi occasio fuit, quâ biennio ante Lutherum coepisse potuit? *Arnoldum* studii partium, fideique malæ, arguimus, qui, quæ adversarii sua pro opinione adducere solent, opera data recensuit, & quæ modo cunque potuit, testimonia in eorum gratiam compilavit; Nostra vero, quæ supra magno numero exhibuimus, præterit prorsus, studioque disimulavit, quæ tamen tuendæ veritati maxime idonea esse, nemo non, suopte judicio, facile assequetur.

§. III. Parum ad rem est, quod a Sculteto, Regenvolschio, Hottingero, Arnoldo, aliisque urgeri solet: *Lutherum non unum ex omnibus fraudes Romanæ Curie t. t. agnovisse, imo Zwinglium & Capitonem, quod ex hujus ad illum literis constet, diu ante de deficiendo Pontifice communicasse.* Quis enim non intelligit, hoc pacto quæstiones confundi plurimum diversas. Aliud enim est, *necessitatem emendandæ religionis agnoscere:* aliud, *emendationem aggredi, & suscipere.* Aliud, *jugum Pontificis impatientius ferre;* aliud, *idem illud excutere:* aliud, *reformationis cupidum,* aliud, *illius auctorem esse:* aliud denique *de deficiendo Pontifice cogitare,* aliud eundem reapse *dejicere.* Prius illud commune fuit Lutheri cum aliis. Nec enim inficias imus, etiam ante Lutherum *Vveselium Wormatiæ, Keisersbergium Argentinæ, Russum Rubecæ, Prolem Lipsiæ, Erasmus Basileæ,* alios aliis in locis, fuisse, qui non minus anxie emendationem Sacrorum optarunt, quam corruptelas in doctrina & moribus exacte norant. Et vero quid fieret de testibus veritatis, Ecclesiæque purioris reliquiis ante Lutherum, quorum sat spissum catalogum contexit olim eruditissimus *Flacius?* Posterius autem soli Lutheri asserimus, ut qui solus inveteratam

B Ponti-

Pontificis tyrannidem diutius ferre non potuit, primus-  
que illam labefactavit ac subruit. Adde & istud, distin-  
gvi oportere inter *Reformationis*, ut loquar cum vulgo,  
*praludia*, & *Reformationem* ipsam, nec non inter qualem-  
cunque *doctrinæ* Evangelicæ *prædicationem*; & manife-  
stam directamque *Papatus oppugnationem*. Erasmus,  
Creutzerum, Capitonem, alios, *prælassisse* imminenti sa-  
crorum instaurationi, admitto: *instaurare cœpisse*, nego.  
Quod ad qualemcunque Evangelii doctrinam attinet,  
non est, cur Zwinglio aliquid præ ceteris tribuatur.  
Esto, eum jam anno seculi III. saniosem de justificatione  
& veniis Pontificiis sententiam a Thoma Wittenbachio,  
Basileensi Theologo, didicisse: Esto, eum jam anno seculi  
XVI. vel etiam XV. Evangelium docuisse Glaronæ,  
quod a Zwinglio ipso & sociis subinde jactatum, & Lu-  
thero objectum fuisse, legimus: Numne credibile est, Lu-  
therum ante scriptas valvisque Templi OO. SS. affixas,  
quas Tezelio opposuit, theses, sanioris omnino doctrinæ  
expertem, aut eo demum die, quo bellum indixit Papa-  
tui, & Romanam oppugnare Tyrannidem coepit, divino  
lumine collustratum fuisse? Annon quæ Zwinglius a  
*Wittenbachio*, eadem Noster a *Staupitio*, accipere potuit?  
Nam, quid de *Justitia fidei* diu ante susceptam ab eo e-  
mendationem statuerit, e quadam illius ad Eremitam  
Epistola, quæ extat *T. I. Epist.* patet. *Quid agat*, inquit,  
*anima Tua*, scire cupio: *Utrumne tandem suam pertusa pro-*  
*priam Justitiam discat in justitia Christi respirare atque con-*  
*fidere.* *Fervet enim nostra ætate tentatio præsumptionis in*  
*multis, hisque præcipue, qui justis & boni esse, omnibus viribus*  
*student, ignorantes justitiam Dei, quæ in Christo est nobis effu-*  
*sisime, & gratis donata: quarunt, in seipsis tamdiu operari*  
*bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo, veluti viribus*  
ac

ac meritis ornati, quod est impossibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinione, imo errore; fui & Ego; ſed & nunc quoque pugno contra iſtum errorem, ſed nondum expugnavi. Igitur, mi dulcis frater, diſce Chriſtum, & hunc crucifixum: diſce ei cantare, & de Te deſperans, dicere ei: Tu Domine Jeſu, es juſtitia mea: Ego autem ſum peccatum tuum. --- Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem Tui, & operum tuorum pacem invenies &c. Hæc jam tum temporis de Fidei juſtitia ſenſit, cujuſmodi vereor, ut ſuo de Zwinglio oſtendere Reformati poſſint. Quapropter cum aliquando Georgius Saxo, qui Dredæ ſedem fixerat, idoneum virum, qui ſibi eſſet a concionibus, a Staupitio petiſſet, & hic meliorem Luthero, quem mitteret, non haberet, Lutherus Dredæ pro concione in aula de gratuita per Chriſtum Electione, ſic verba fecit, ut honeſtiſſima femina, Barbara de Salen, quæ erat Gynæceo præfecta, rogata a Principe, quomodo placuiſſet Martini concio? reſponderet: ſi alteram huic ſimilem audire ſibi liceret, tranquilliore ſe animo deceſſuram, ut reſert G. Fabricius Orig. Sax. L. VII. f. 859. & ex eodem Seckendorſius, Hiſt. Lutheranismi c. Maimb. L. I. §. IIX. addit. 7. f. 23. Notum vero eſt M. Polichii, primi Academiae Rectoris, de Eodem judicium. Qui cum Eum ſubinde audiret Scholaſticorum oppugnare doctrinam, Sacrasque literas omnibus Thomæ, Scoti, Alberti, aliorumque commentis & ſubtilitatibus anteponeſe, converſus ad ſuos dixit: Der Münch wird alle Doctores irre machen/ und eine neue Lehre auffbringen/ und die ganze Römische Kirche reformiren/ ut reſert in vita Polichii Biſmarcus. Extant quoque etiamnum Tom. I. OO. Lat. nec non in Oſiandri Epit. H. E. L. I. c. 19. theſes de libero arbitrio, & meritis operum, & traditionibus humanis, quas anno 1515. Scholaſticis oppoſuit. Sed, ut omnia in

compendium mittam, audiamus, quid ejus de doctrina, etiam ante susceptam emendationem, in *Orat. de vita & rebus gestis Lutheri*, commemoret Melanchthon: Postea, inquit, anno nempe 1512. cepit enarrare *Epistolam ad Romanos*, deinde *Psalms*. *Quæ scripta sic illustravit, ut post longam & obscuram noctem nova doctrina luxoriri videretur, omnium piorum & prudentum judicio. Hic monstravit Legis & Evangelii discrimen, hic refutavit errorem, qui tunc in scholis & concionibus regnabat, qui docet, mereri homines remissionem peccatorum propriis Operibus. -- Revocavit igitur Lutherus hominum mentes ad Filium Dei, & ut Baptista monstravit agnum Dei, qui tulit peccata nostra: ostendit, gratis propter Filium Dei remitti peccata, & quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustravit & ceteras partes doctrina Ecclesiastica ---- Nec tamen tunc in ritibus quicquam mutarat, imo tetricus disciplina custos inter suos erat, nec miscuerat aliquid opinionum horridiorum. Hæc Philippus. Quibus liquido constat, magno in errore versari, qui, ea maxime de causa, Zwinglio in emendandis sacris primas deberi, statuunt, quia jam dum anno sec. XV. vel XVI. Glaronæ Evangelium docuerit, & diu antea de Justitia fidei recte senserit. Hæc enim Lutherum quoque diu ante coeptam sacrorum instaurationem & cognita habuisse, & alios docuisse, invictis huc dum rationibus testimoniisque probavimus.*

§. IV. *Temperamento hic quodam uti voluisse videtur D. Sam. Strimesius, Theologus in Academia propter Viadrum Celeberrimus, in Hexade Annot. ad Spanbem. Protheor. histor. & catallact. superiore anno emissa §. 1. p. 3. Scribit enim, Zwinglium publice docendo, & contra Papales doctrinas detonando: Lutherum Easdem & scriptis, & factis publicis variis impetendo impugnandoque priorem, utrumque*  
vero

vero per impudentissimam indulgentiarum Papisticarum nundinationem, cui in Helvetia Samsonius quispiam: in Saxonia Tezelius fuerint obstetricati, ad id pertractum fuisse. Nos melioris causæ fiducia Zwinglium Lutherō nec doctrina, nec meritis, nec successu parem, adeoque non antefendum, sed postponendum, putamus. Prius in doctrinas Papales detonuisse Cinglium, quam Lutherum, falsissimum est. Contrarium supra evicimus. *Darmstadtini* quoque Theologi in speciali Confutat. Script. Amœb. *Cassell. f. 570.* subductis temporum rationibus, probant, fieri non potuisse, ut jam anno Seculi sui XV. purum Dei verbum docuerit Cinglius, cum biennio post, anno nempe XVII. ad Eremitorium (nach den Einsiedeln) peregrinationibus eo susceptis, nobile, fuerit evocatus, idque ab Abbate Pontifici, & Pontificiis superstitionibus obnoxio, minime id facturo, si Zwinglii de impugnando Papatu consilium & conatum ulla ratione subodoratus fuisset. Addo, pugnare secum scriptores, nec convenire de tempore, siquidem *Amyraldus* anni unius: *Bullingerus*, ut *Hottingerus* narrat, unius & VI. mensium: *Regensvolscius*, & reliquifere, biennii: *Beutherus* integri decennii prærogativam Cinglio tribuunt. Sed & *Strimesius* non satis sibi constat, conjungendo ea, quæ se mutuo evertunt ac destruant. In repurganda enim religione primas suo Zwinglio tribuit, eique parum reverenter Lutherum Nostrum postponit, quem tamen pro asserenda veritate signum sustulisse, modestissimus quisque inter Reformatos liberaliter fatetur. Mox autem, Eundem illum Cinglium per nundinationes Indulgentiarum Samsonis, ad detonandum contra Papales doctrinas inductum, scribit. Jam cum Samsonem anno demum XIX., adeoque biennio post emendationem a Lutherō susceptam, Tigurum ve-

nisse, ibidemque Indulgentias, quas' vocant, venum ex-  
posuisse omnes, fateantur, quomodo Cinglius prior in Pa-  
patum derounerit Luthero, qui biennio post impugna-  
tum ab hoc Papatum, demum in veniarum institorem  
Samsonem incidit, quas tamen *rationem & occasionem refor-*  
*mationis* fuisse, *Hotting.* ipse, sui non satis memor l. c. p. 201.  
testatur. Tanta nempe veritatis vis est, ut vel insciis & invi-  
tis excidat aliquando, & tum maxime emicet, quum tene-  
bras ipsi affundere homines ingrati enixissime student.

§. V. Idem ille *Strimesius* Luthero non modo *Cin-*  
*glium*, sed & *Carolo stadium*, in emendatione sacrorum col-  
legam addit, ut qui Vittembergæ multa, non tamen omnia,  
*privata auctoritate innovavit. Vid. Hex. observ. §. XIV. pag. 46.*  
Consentit eruditissimus Auctor *der Erwegung der Historie*  
*von den ersten religions - motibus, & Carolo stadium non per*  
*se, sed per Magistratum, nec privato consilio, sed de voluntate,*  
*& sententia Collegarum deiecisse imagines, docet §. XIX.*  
*pag. 21.* simulque ad rerum gestarum Commentarios  
provocat, es sey acten mäsig. Discere autem hic ve-  
lim, quinam & quales, & a quibus, conditi sint illi com-  
mentarii, quibus docetur, Carolo stadium, cum excita-  
ret tumultum, non *privato* quicquam *consilio*, sed *publi-*  
*ca auctoritate*, fecisse. Memini scripsisse olim *Emden-*  
*ses* im historischen / wahrhaftigen Bericht vom Streit des  
heiligen Abendmahls / *Emden anno 1590. c. 5.* ope consilio-  
que *trium Electoris Consiliariorum, & aliquot Collegarum*  
Lutheri imagines esse dejectas. Sed confutati sunt ab  
*Hunnio* partim literis *Hier. Schurfii*, qui t. t. Electori a Con-  
siliis erat: partim *bujus ad Schursum* responforiis. Schur-  
fius ita scribit: Ich kan Ew. Churfl. Gnaden meiner Ver-  
sichtigung nach - - nicht bergen / daß sich etliche bey Uns ohn  
alle Forderung / und vocation, sondern aus eigenen Fürnehm  
zu

zu predigen eingedrungen / und es endlichen leider dahin ge-  
bracht / daß viel Bürger / und Studenten nicht anders wifs-  
sen / noch glauben / als solte allein der ein rechter guter Chris-  
sten seyn / der da nicht beichte / Bilder abreisse &c. Ad quæ  
hanc in sententiam respondit Elector. Wir haben nie  
gern gesehen / daß sich etliche dermassen zu predigen / und an-  
ders fürzunehmen eingedrungen / was wir auch dargegen has-  
ben handeln / und fürnehmen lassen / das ist dir / und an-  
dern / so wir darzu gebraucht / bewußt &c. Vid. *Hunn.* in der  
Wiederlegung pag. 103. seq. Itaque hac maxime causa  
improbabat *εὐνομαχίαν* Caroloistadii Lutherus , quod  
in scio Principe , invito Senatu , improbantibus Bonis  
omnibus , audebat. Neque enim se repugnare dice-  
bat , quo minus imagines tollantur , sed hoc a magistratu fieri  
debere , nec permittendum , ut vulgo promiscue fiat ab omnibus ,  
teste *Sleidano de Statu Relig. L. III. p. m. 72.* Quibus porro  
moribus fuerit Caroloistadius , Philippus in quadam ad  
Myconium Epistola docet. *Caroloistadius* , inquit , *primus ex-*  
*citavit hunc tumultum , homo ferox , sine ingenio , sine doctrina ,*  
*sine sensu communi , quem nullum unquam humanitatis officium ,*  
*aut intelligere , aut facere animadvertimus , tantum abest ,*  
*ut significatio aliqua Spiritus S. in eo animadvertita sit. Imo ,*  
*extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat*  
*ἰσθαίξεν , ἡ σατίαξεν. - - Totam illam fanaticam Anabapti-*  
*starum doctrinam statim initio τὰν αὐθιγῶν amplectebatur.*  
*- - - Et controversiam de Coena Domini tantum odio Luthe-*  
*ri non aliqua pietatis opinione movit. Etenim , cum εὐνομαχία*  
*ipsum a Lutero improbata esset , coepit ille inflammatum imma-*  
*ni cupiditate vindictæ querere causam vendibilem , qua Luthe-*  
*ri existimationem prorsus obrueret. Bona Pars Germaniæ*  
*testari potest , nihil me hac in re fingere. Hujus auctorita-*  
*tem testimonii elevare studet supra citatus Auctor der*  
*Erves*

*Erwegung* p. 231, quia fit ex odio profectum, opponitque  
iudicium *P. Mosellani*, qui ejus in Colloquio Lipsiensi *mode-*  
*stiam* commendavit. At, qui forte t. t. metu aliisque de  
causis modestum se gessit, alias, etiam ante emendatio-  
nem sacrorum, & suscepta cum Luthero certamina, *tur-*  
*bulentum* se præbuit, *rixosum & contumacem*. Etenim, A.  
1515. *Wolfgangus Anhaltinus*, Academiae Rector, datis ad E-  
lectorem literis, questus est, *Carlostadium a Creditore quo-*  
*dam 12 florenorum, quos debebat, nomine conventum, a judi-*  
*cio Capituli ad Pontificem appellasse, multasque in judices in-*  
*jurias evomuisse. Esse enim hominem rixosum, cujus conver-*  
*sationem omnes fugiant: Deinde causatum, ex voto se obliga-*  
*tum esse, ut Romam peregrinaretur, & protinus absque ve-*  
*nia discessisse: neque constituisse, qui, se absente, sacra face-*  
*ret, aut lectionibus Academicis fungeretur.* Hæc ex Actis  
Vinariensibus excerpta suæ *historiæ de Lutheran.* inseruit  
*Seckendorffius* L. I. f. 199. Sed & Principis Eum mandata  
contemptim, & insuper habuisse, exemplis probat *Löberus*  
*in Hist. Eccles. Orlam. P. spec. sect. I. p. 160.* His moribus fuis-  
se Carlostadium, nostris ex Commentariis discimus, ut  
facile appareat, suo in iudicio Philippum nihil odio, nihil  
invidiæ, dedisse. Quod si talem ferre Reformatorem alii  
possunt, nos non repugnamus. Ipsi tales non inter *Refor-*  
*matores, sed Deformatores, numerandos esse, existimamus.*

§. VI. Etsi vero Lutherus non novam invexit,  
sed veterem renovavit doctrinam, eademque illa pro-  
gressu temporis statuit ac defendit, quæ olim Prophetæ  
& Apostoli Ecclesiæque antiquioris Doctores de Deo, &  
Christo, de viribus humanis, de peccato, & gratuita il-  
lorum remissione, Ministerio verbi & Sacramentis, aliis-  
que religionis Christianæ capitibus, proposuerant, dici  
tamen non potest, quantis initio doctrina hæc difficul-  
tatibus

tatibus obnoxia, quantis impetita calumniis fuerit. *Multi* quippe erant t. t. qui dicerent: *Quem fugiam habeo: quem sequar non habeo, cum significarent, se videre superstitiones Pontificias fugiendas esse; sed, an nostro sese coetui jungerent, dubitarent, ut Philippus c. Staphylum scribit T. IV. 00. f. 818.* Nec deerant, qui prodigiosis Nostros calumniis onerarent, & tales ipsis cum sententias, tum mores tribuerent, qui nisi a pessimis concipi, & probari non poterant. *Quorum* videatur *Præfatio Art. Smalcald. & G. Coelestinus in Hist. comit. P. I. f. 93. b.* His igitur ut obviam iretur, placuit adornare Confessionem, vel, ut initio nominabatur, *Apologiam*, in magnis illis Comitibus Augustæ Vindelicorum habitis, unde & Augustana dicitur, publice recitandam, & Imperatori Carolo V. exhibendam, quo & emendationis susceptæ ratio redderetur, & male cupientium reprimeretur calumnia, & certa quædam doctrinæ forma transmitteretur ad posteros. Quo nomine etiam reprehenditur, vel carpitur saltem *Arnoldo* l. c. f. 210. 212. cui quidvis credendi, statuendique licentia perplacet, bene tamen de veritate meriti sunt Majores, quod non modo, quid ipsi crederent, sed & credi a posteris suis, & custodiri vellent, scripto perspicuo & nervoso complexi sunt.

§. VII. Scripta vero est jussu Johannis, Principis Electoris Saxonæ, cui ab admirabili, quam in veritate tuenda præstitit, fortitudine, nomen Constantis, & Confessoris hæsit. Ac Lutherus quidem, ad quem de Collegarum sententia laboris fuerat devolutus, eandem delineavit primum, scriptis Forgæ, quo fuerat evocatus a Principe, XVII. articulis, quibus summam doctrinæ a se restitutæ complexus est: amplificavit vero, studioseque digessit, ac stylo, quo valebat, ornavit, Augustæ ante comitia, Melanchthon, sic tamen, ut de singulis ab-

C

fentis

sentis licet Lutheri iudicium requireret, & hujus non modo verba, & formulas, sed ordinem quoque, ut ex Articulis & Confessione ipsa inter se comparatis liquet, potissimum retineret. Vid. *G. Coelest. in Hist. Comit. P. I. f. 25. 28. Chytr. in Hist. A. C. 44. edit. Isleb.* Ante vero quam exhiberetur Confessio, non modo communicata est cum Theologis, *J. Jona, Erb. Schnepfio, G. Spalatino, Jo. Brentio, And. Osiandro, Jo. Agricola,* & aliis, quos Principes, absentiumque Legati adduxerant, sed & in frequenti Ordinum, quotquot subscripturi erant, senatu ventilata, & qua omnes sui partes studiose expensa fuit, quod *Schnepsius*, qui his ipsis interfuit, sua *in Confessione*, quam edidit anno 1555. *f. A. s. b. testatur, & Wittenbergenses in Actis Colloqv. Altenburg. f. 442. edit. Jen. confirmant.* Imo vero recognita jam, omniumque suffragiis probata Confessio denuo ad Lutherum, antequam recitaretur, est missa, quo tempore ipsum antithesin illam: *Et improbant secus docentes*, ad Articulum X. adjecisse, *Jo. Marbachius*, Lutheri discipulus auctor est *im Unterricht vom Heil. Abendmahl anno 1566. ed. c. VI. p. 549.* Quibus sic disputatis apparet, primas in adornanda Confessione partes, Lutheri, non Melanchthonis fuisse, fallique adeo cum Reformatos communiter, quoties auctorem ejus laudando, Philippum solum intelligunt: tum speciatim *Strimesium*, qui in *Hexade n. II. p. 10.* negat, *in investiganda Confessionis sententia Lutheri, quam Melanchthonis auctoritatem magis valere.* Lutherus enim sententias, argumenta Confessionis & capita primum conscripsit: Melanchthon digessit, styloque modesto ac simplici comprehendit: comprehensa iudicio Lutheri, Principum & Theologorum submitit. Sequitur & istud, errasse *M. Arnoldum*, cum scriberet: *Philippum, quo cum sententias conferret, Augusta Vindelicorum*

non

*non habuisse* : Er habe niemand gehabt / mit dem er hätte recht conferiren können / *Heresiol. T. II. L. XVI. c. XIX. n. 12. f. 21.* de singulis enim consultum fuisse Lutherum, & præterea Theologos affuisse, doctrina, meritisque graves, & usû experientiaque probatos supra ostendimus.

§. VIII. Magno *in metu & trepidatione scripsisse Confessionem Philippum*, quod denuo Arnoldus minuendæ illius auctoritatis cupidus c. l. memorat, longe falsissimum est. Scripta enim, & præfatione ornata, quin & ad Lutherum missa est *totum ante mensem*, quam urbem ingrederetur Cæsar, *Chytrao teste l. c. p. 57.* Et quanquam Philippum, ut natura meticulosior erat, ipsis in Comitiiis trepidasse nulli diffiteamur, non tamen trepidavit ante comitia, quo tempore Confessionem digesit, & in eam, qua nunc apparet, formam redegit. Tunc enim clementiam Cæsar's, & Mercurini Cattinarii prudentiam intuens, bene speravit, quod ex illius ad Lutherum literis patet apud *Chytraum in Hist. p. 61.* Sed & sub ipsa Comitiorum initia non fuit, cur Nostri sibi, suisque rebus metuerent, cum quidem Cæsar ingens sanctimonix, & componendi de religione certaminis studium præ se ferret, nec ipse tantum quotidie privatim fundendis ad Deum precibus integram horam tribueret, sed & Canonicorum, quos vocant, Collegio nuntiarî per Hildesiensem juberet, *orarent Deum pro se, misero peccatore, ut spiritum sibi sanctum impertiat, qui doceat se ac instituat, quo tanti momenti negotium pulcre ordinet, nec quicquam, quo Deus offendi possit, committat, ut Coelestinus f. 93. & 101.* Chytraus item, aliique commemorant. Sed cum mortuo Mercurino, cujus eo usque consiliis fuerat emollitus, *nemo esset in aula, qui auctoritate valeret, & pacis auctor esse vellet,* & Cæsar indices a suis stimularetur in Nostros, multi  
C 2 etiam

etiam antiquæ superstitionis tenaces, Pontificique obnoxii, atroces sæpe sententias dicerent in Senatu, & sigillatim Salzburgicus *pene excruciaret Philippum longa commemoratione omnium incommodorum, adderetque Epilogum simpliciter sanguine scriptum*, ut queritur in suis ad Lutherum literis Melanchthon, tum vero cœpit animo perturbari, curisque ac sollicitudine frangi, quod ex *Coelest. f. 136. 138. & Chytræo 318. seq.* liquet, ita ut lacrymis prope diffunderet, & Campegio Aulæ Rom. Purpurato conditionis ineundæ pacis offerret, Norimbergicis autem hoc nomine, suspicionem metumque injiceret, quod ex *Ebneri, Pirckheimeri, Lincii & ipsius Joach. Camerarii ad Agricolum literis docet Selneccerus in der Gegen-Antwort c. Pezelium p. 31.* Trepidavit ergo non ante scriptam, sed post recitatam jam, exhibitamque Confessionem Philippus. Imo si vel maxime demus, a meticulosiore adornatam fuisse; cum nec mater timidi flere, nec calamus timidi errare, aut præceps ruere soleat, sequetur, magna eam sollicitudine & prudentia scriptam, non erroribus, aut opinionum præcipitiis contaminatam fuisse.

§. IX. Id vero quod ab Arnolde additur: *Philippum Confessionem in multis Pontificiorum gustui attemperasse: Er habe sich NB. in vielen nach den Papisten bequemet l. c. manifesta calumnia est, in homine coacervandis fabulis mendaciisque asveto tanto patientius ferenda, quanto fortius oculis ipsis, sensibusque retunditur. Quae de re Hunnius Sen. ita scribit: Das die zu Augspurg übersantwortete Confession dem Pabsthum zu nahe soll getreten seyn / solches ist nichts anders denn des Teufels / und seines Apostels des Pehels (addo M. Arnolds) famos-Gedicht. in L. c. Embdenses p. 325.* Quo ipso & primum commenti hujus auctorem, & suum de re tota judicium aperit. Quænam

nam vero sunt ista **MULTA**, in quibus Confessionem ad  
Papistarum palatum attemperatam fuisse narrat *Arnol-*  
*duſ*? Ostendat ea, si vir est, fanaticus, & fidem faciat  
calumniæ, si potest. Unius omnino memini, quod sa-  
pere Papismum clamant, sed præter rem Reformati, il-  
lud nempe, quod Articulo X. exempli Germanici scri-  
ptum est: **Christi wahrer Leib und Blut sey unter der**  
**Gestalt des Brods und Weins wahrhaftig zugegen &c.**  
Hoc enim Transsubstantiationem redolere putant post  
Pezelium, *Ambr. Wolfius*, *R. Hospinianus P. II. Hist. Sacr.*  
*f. 94. Pareus in Irenico, Jo. Crocius: Ortwinus Gratius, c. Lieb-*  
*hardum c. III. p. 69. & nuper admodum Strimesius in Hex.*  
*p. 25. 32.* qui eo maxime argumento a studio retinendæ  
Confessionis non mutatæ abstrahere nos conatur, quia  
periculum sit, ne, si nimis superstitiosè verbis invariata in-  
hareamus, ad phrasin Pontificiam de presentia C. & S. C. in  
Coena sub speciebus Panis & Vini, hujusque phrascos sensum  
eo tempore, quo Confessio edebatur, occidentali Ecclesiæ uni-  
ce receptum adigamur. Sed id nemini facile perfvadebi-  
tur, nisi, qui vel cerebrum in calcaneo gerit, vel omnis  
historiæ est expers. Transsubstantiationis enim Pon-  
tificiæ monstrum (1.) vel decem ante annos in suo de ca-  
ptivitate Babylonica libro, nec non c. *Henr. A. Regem* debel-  
lavit Lutherus. (2.) Quid pii Confessores per speciem  
Panis & Vini notaverint, perspicue in Apologia docetur,  
illas nempe res, quæ videntur. (3.) Si hæc verba in Art.  
de Cœna arguunt Transsubstantiationem, ipse *Cinglius*  
& Socii erroris hujus peragentur rei, ut qui toto ante  
scriptam Confessionem anno Marpurgi num. XIV. cum  
Luthero & reliquis in hunc consenserunt articulum:  
*Credimus & sentimus omnes de Cœna Domini nostri Jesu C.*  
*quod utraque specie, juxta institutionem Christi utendum*

*fit.* 4.) In *Latino* Confessionis exemplo verba illa omiſſa ſunt a Philippo, minime id facturo, ſi per iſta in Germanico Cæſaris & Papiſtarum gratiam captare voluiſſet, cum incertum initio fuerit, utrum coram Cæſare ſit recitandum exemplum, & ſatis inter omnes conſtet, *Latium*, non Germanicum, Cæſari exhibitum, ab eoque receptum eſſe. 5.) Et concordia Vittembergæ anno 1536. cum Bucero ac ſociis inita, & ſœdus anno poſt Smalcaldiæ inter Proteſtantes iſtum Auguſt. Confefſioni, primæ illi minimeque mutatæ, ſunt ſuperſtructa, rejecta nihilominus utrobique, & Vittembergæ, & Smalcaldiæ, *Transubſtantiatione Papiſtica*. Denique 6.) *Bucerus* ipſe & *Capito*, quos tamen fingunt hac formula deterritos Confefſioni ſubſcribere noluiſſe, hac ſuſpicionem liberarunt Noſtros, quum ipſis in Comitibus ſcriberent ad Philippum: *Papiſtas multo, quam Noſtros, craſſiorem conjunctionem Corporis & Panis in S. C. ſtatuerent, corpusque ipſum panis includere, quod conſtat ex Chytræi H. A. C. p. m. 745. Unde & ſua in reſponſione Philippus Transubſtantiationem ab utraque parte damnari inter confeſſa & explorata reposuit ib. p. 750. Conf. Def. Pup. Sax. c. XLVII. pag. 555. Hunnius c. Embdenſes l. c. & in præf. L. de Sacram. Lud. Liebhard. in Hiſt. inter ſoc. A. C. & Calvino-Reform. c. III. pag. 69.*

§. X. Porro eo maxime conſilio ſcripta eſt, & oblata Confefſio, ut Noſtri ſeſe ab omnibus in ſalutari doctrina errantibus, adeoque & Sacramentariis, ſeu *Zwinglianis*, diſtinguerent. Quod cum aliquando c. *Grocium* monuiſſent Prutenici, ille in ſuo de ſociet. A. C. Commentario ſtomachofius reſpondit, *apertumque mendacium appellavit, quum nullibi Cingliani nominatim rejecti ſint.* Cui ſententiæ adſtipulatur *Auctor der Erwekung* §. 182. pag. 322. Nec diſſentire videtur *Strimeſius* l. c. p. 6. dum Confefſionem

nem nostram Pontificia imprimis heterodoxia oppositam esse tradit. Quod etsi suo quodam modo admittimus, ipsis tamen Cinglianis etiam, saltem in *Art. X.* oppositam esse contendimus, cujus elenchus eosdem manifesto spectat, unde & *Beza in Ep. ad Dudith. p. 5.* scribit: *Confessionem Augustanam in Art. de Cæna sibi non satisfacere.* Jo. Henr. Heideggerus in *Introd. in viam Conc. Protestant.* Anabaptistas his verbis notatos esse putat, sed falso, cum Anabaptistas, quoties res postulavit, nominatim rejecerint. Parum vero ad rem est, quod Crocius excipit: *suos nominatim in articulo X. refutatos non esse.* Nam nec *Papiste* nominatim rejecti sunt, quibus tamen Confessionem vel præcipue oppositam esse ipsi non diffitentur. Modestiae igitur Nostrorum, addo etiam Prudentiae tribui illud debet, quod de Argentinensibus, horumque in religione focii bene sperare, & mitius loqui, quam *nominatim* eos rigidiusque notando, furori Pontificiorum objicere maluerunt.

§. XI. Adornatam hoc modo Confessionem, omniumque probatam suffragiis, ut sibi liceret publice, & frequenti omnium ordinum Senatu prælegere Nostri orarunt. Quod etsi æquissimum in se fuit, negavit tamen initio Cæsar, stimulatus a suis, Confessionemque scripto comprehensam tradi sibi voluit, atque seponi. Fuit etiam inter Principes, qui, cum de religione & Evangelio ageretur, in hæc verba erumperet: *Was wolt Ihermit dem Narrenwerck vornehmen,* ut *Schnepsius*, qui t. t. affuit, auctor est *Comment. in Psalm. P. I. f. 3. a.* Nostri vero causæ bonitate freti, & publicas calumnias publica quoque Apologia eluendas rati, ut coram toto Imperii Senatu rationem doctrinæ suæ sibi reddere liceret, denuo postularunt, tandemque ab, invito licet, Carolo imperarunt.

runt. Prælecta igitur fuit, non quidem in Curia, lo-  
coque Comitiorum solenni, sed in Palatio Cæsaris, neque  
tamen non in Statuum omnium confessu, quod contra  
omnem historiæ fidem negat *Strimesius*, sed frequentis-  
simo membrorum omnium, partiumque Imperii Sena-  
tu, *presentibus omnibus Electoribus, Principibus, Ordinibus,  
Episcopis, & Civitatum Legatis*, ut loquitur *in Hist. A. C. Chy-  
traeus p. 116.* & ex eodem *Hospin. H. Sacram. P. II. p. 91.* Præ-  
lecta fuit postridie Johannis Baptistæ a meridie ab hora  
III. ad V. per Cancellarium Saxonis *D. Bayerum*, voce adeo  
sonora, & grandi, ut non modo in conclavi spatioso, &  
amplo, sed & inferiore area, & locis vicinis posset exau-  
diri ab omnibus. Quorsum denuo vid. *Chytraeus, Coele-  
stinus, & alii.*

§. XII. Recitatam *D. Pontanus*, qui juxta Bayerum  
steterat, tradere, ut jussus fuerat, voluit *Alex. Sveiffio*, qui  
Carolo a secretis erat: Sed Cæsar *latinum*, quod trade-  
batur, exemplum sua ipsius manu ad se recepit, in *Bru-  
xellensi* Tabulario reponendum. *Germanicum* pro more  
traditum est Alberto, Archiepiscopo Moguntino in *Ar-  
chivo Imperii* asservandum. Quod tamen e Tomo A-  
ctorum publicorum in Comitii Augustanis tum colle-  
ctorum excisum fuisse scribit *Dorscherius in Disp. de Pro-  
vid. div. circa A. C. anno 1555. Rostoch. habita.* Ex quo in-  
fert genuinum non variatæ Confessionis August. exem-  
plum hodie non amplius extare *J. H. Böcler. memorab. sec.  
XVI. p. 406.* Cui facile assentitur *Strimesius in Hex. pag. 13.*  
tantum, quo ostendatur, non esse, quod Lutherani de in-  
variata Confessione sibi tantopere gratulentur. *Ortvi-  
nus* autem *Gratius* postulat edoceri, quæ tandem sit pri-  
sca illa Aug. Confessio, quam tantopere jactemus, & *ve-  
reri se ait, num quis inde ab exhibita Confessione exemplar ejus*  
vide-

widerit, vel sit visurus in posterum, contra Libbardum p. 70. Meliora vero & speramus, & ex Historia discimus. Namque & suo tempore Augustus, & seculo superiore Jo. Georgius I. adversariorum, imprimis Jesuitarum, calumnias representari, idem illud primigenium exemplum, quod *αυτόγραφο* appellat Strimesius, e Tabulario Imperii ab Electoribus Moguntinis & petierunt, ad *απόγραφο* fide dignum hinc Formulæ C. hinc Pupillæ Sax. inferendum, & nullo negotio impetrarunt. Nec prætereundum h. l. est, quod retulit aliquando Chemnitius. *Lüneburgicos, nempe, in Ducis Francisci, qui Confessione subscripsit, Tabulario: itemque Hassos in Actis anni 1530. invenisse exempla, que cum exemplo ex archivo Imperii petito, & Formulæ C. inserto exacte consentiant.* Vid. Acta Colloqu. Hertzberg. lit. Z. 2. edit. Servest. Strimesium autem h. l. decebat esse memorem, qui p. 13. jam anno 1555. *αυτόγραφο* Actis Comitiorum excisum esse ex Dorscherio affert, p. vero 17. Ern. Frid. Badensem anno 1599. discrimen exempli Formulæ C. inserti ab autographo accurata collatione ostendisse scribit. Quomodo enim exemplum Formulæ C. insertum anno 1599. vitii alicujus per collationem cum autographo potuit convinci, si *αυτόγραφο* jam anno 1555. non amplius extitit? Nos igitur adhuc superesse, quicquid Gratio, quicquid Strimesio, & aliis videatur, superioribus adducti causis putamus. Confer. etiam, quæ de Jo. Schweighardo Moguntino memorat def. Pup. Sax. cap. XXVII. p. 431.

§. XIII. Recitatam jam exhibitamque Confessionem magna animorum mutatio est secuta. Nam & Cæsar, qui attentissime auscultaverat, molliorem se præbuit Nostri, & Guil. Bavarus audita Confessione perhumaniter est allocutus Saxonem, & in hospitium reversus dixisse fertur: *Longe diversa, ac res ipsa probavit, de Protestantium Principum doctrina antea ad se relata fuisse, ut Coelestinus*

D

l. c.

l. c. tradit. Conf. Sigwart. Disp. I. pro A. C. tb. 216. seq. & Jo. Schmid. de A. C. interpret. tb. 36. pag. m. 70. Sed & unus ex Episcopis dixisse privatis in colloquiis fertur: *Hæc est pura veritas, non possumus negare.* Henricus vero Brunsvicensis Philippum familiariter vocavit ad Coenam, testatus, *se non posse quidem negare articulos de utraque specie, sacerdotum Conjugio, & indifferentia ciborum,* teste Lutbero T. III. Epist. n. CXL. p. 140. edit. Budd. Quæ cum ita se habeant, & Nostra illa Confessio tam sollicitè adornata, solenniter exhibita, clementer recepta, studioseque sit asservata, facere cum *Strimesio* non possum, qui pag. II. negat Augustanam majoris esse, has ob causas, quam *Tetrapolitana*, auctoritatis. Hæc enim ad dignitatem & decus Nostræ adeo non aspirat, ut ne nomen quidem Augustanæ tueri unquam potuerit. Nam, quod ex adversariis ipse *Piascius in Chron. gest. Europe* p. 31. agnoscit: *Confessio anno 1530. d. 25. Jun. Casari oblata intelligenda est, quotiescunque incidit mentio Augustana Confessionis.*

§. XIV. Scripta hoc modo & publicata Confessio non ita multo post *mutata* est a Melanchthone. Cujus de auctoritate cum hoc etiamnum tempore inter nos & Reformatos plurimum disputetur, age de hoc argumento sigillatim hoc loco videamus. Ac initio quidem inter mutationem *mere circumstantialem*, & *substantialem* distinguimus. *Ill*a est, quando vocula quædam vel contrahitur, vel dilatatur: verba transponuntur: idioma mutatur, dicta quædam veterum & sententiæ insperguntur, totusque adeo contextus quodammodo a primogenio deflectit, sic tamen, ut salva nihilominus maneat res ipsa, salvusque cum primogenio exemplo, qua doctrinam, consensus. Et hæc ipsa *circumstantialis* mutatio alia est *simplex*, quæ vel per describentis oscitantiam, vel typographi negligentiam, vel corrigentis insci-

tiam

tiam accidit; alia *affectata*, quæ ex intempestiva quadam sedulitate, nimiaque variandi libidine promanat. *Utriusque generis mutatio* nostra in Confessione occurrit. Quod eo maxime tempore est observatum, quo de publicando Formulæ C. libro, inferendoque fide digno Confessionis & Apologiæ exemplo agebatur. Convenerat enim inter Theologos, quorum id curæ crediderat Augustus, ut bonæ fidei exemplum, minimeque suspectum eidem præmitteretur. Ac Chemnitius quidem *in Corpore Doctrinae Julio*, & alias sæpe, monuerat, illud omnino præstantissimum maximeque probandum esse, quod *A. 1531.* ex officina Jo. Rhavii vernaculo sermone in 4t. prodierit Wittenbergæ, quam utique nitidam non modo, sed & summa fide curaque adornatam esse editionem, scimus. Itaque ad illam non modo, quoties in Formula e Confessione citandus locus fuit, respectum, sed etiam, ut ejus editionis exemplum Formulæ præmitteretur, decretum fuit. Ceterum, ubi jussu Saxonis e Bibliotheca Jenensi, quæ ante conversionem rerum in gente Saxonica fuerat Wittenbergæ, petitum fuit exemplum, quo olim, ut videbatur, Ambsdorffius usus erat, in forma 8, eodem anno & ex eadem Rhavii officina editum, mira est deprehensa diversitas, quæ animos Theologorum quodammodo perturbavit. Quis enim credat? eodem anno, ex eadem officina, & in eadem urbe. diversa, unius ejusdemque libri, prodisse exempla? Sed recte subjicit D. Lyserus: *Wem des Hn. Philippi Melancht. Art und Weise bekant gewesen / den befrembdet es so hoch nicht: denn es bey Ihm schier ein unmdglich Ding gewesen ist: Manum de Tabula, d. i. daß Er ein Buch also / wie er es zum ersten mahl hat publiciret / hätte bleiben lassen: sondern / so offft er ein Buch hat drucken lassen / so offft hat er darinne corrigiret!*

ret / adderet / subtraheret. Vid. Lyseri *wahrhaftiger Bericht wider D. Hoffmanns Beschuldigung* / lit. B. 4.

§. XV. Jam quod ad ferendum de utraque iudicium attinet, etsi ne *simplicem* quidem illam laudemus, quis enim ignaviam, inscitiam, negligentiam, laudet? magis tamen *affectatam* rejicimus, privato quippe consilio, & exemplo minimelaudando, susceptam. Etsi enim quilibet Autor jus habet, librum a se scriptum mutandi pro lubitu; aliter tamen est comparatum cum Symbolo, scriptoque publico, cujusmodi, omnium confessione, est Confessio Augustana. Hæc enim uti ad omnes spectat, sic ab omnibus quoque curari debet, ne, permessa cuilibet mutandi variandique licentia, tot demum Confessiones prodeant, quot Confitentium capita. Saxo igitur Augustus, illa exemplorum varietate deprehensa, ne quem dubitationi, vel calumniis, locum relinqueret, ipsum *αὐτόγραφον*, seu primigenium, ipsique in Comitibus recitatum exemplum, a Moguntino petiit, eoque tandem impetrato jusfit, ut duo Rhaviana editionis anni 31. exempla cum eodem diligentissime conferrentur, & quod ex duobus illis maxime respondisset, Corpori Librorum Symbolicorum, altero neglecto, infereretur, ut denuo testatur Lyserus *loc. cit. littera C. 1.*

§. XVI. Circumstantiali mutationi *substantialem* opponimus, in qua disceditur a doctrina, primo in exemplo proposita, idque in gratiam adversariorum, quo nempe eorundem erroribus latibulum præbeatur, in Capitibus a Confessione ipsa manifesto & palam improbat. Quæ quidem a circumstantiali quam plurimum differt. Hæc enim versatur in Syllabis contractis, vocibus trajectis, mutatione idiomatis & sermonis, amplificatione

catione sententiæ per testimonia veterum, & loca Scripturæ illustriora. *Ista vero doctrinam, ipsa in Confessione clare propositam, dubiam reddit, periculoque erroris vel invehendi, vel saltem occultandi, exponit, ipsumque adeo elenchum, a piis Confessoribus studio, gravique de ratione, adjectum, removet atque omittit. Hujus generis exemplum illustre Philippus dedit in Artic. Confessionis X. Nam, cum in primo minimeque mutato, eodemque Latino exemplo legeretur: De coena Domini docent, quod corpus & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in Coena Domini. Et improbant secus docentes: Philippus inde ab anno 38. coepit privato suo consilio, in gratiam Cinglianorum substituere hæc verba: De Coena Domini docent, quod Corpus & Sanguis Christi vere exhibeantur vescentibus in Coena Domini. Quam quidem mutationem substantialem esse, & in gratiam Cinglianorum factam, facile nobis erit, ac in proclivi ostendere. Nam quum inter nos & Cinglianos imprimis de vera & reali presentia C. & S. C. in S. Coena, de orali item manducatione & bibitione, de Indignorum denique participatione disputetur, quæ omnia non mutatae Confessionis verbis clare perspicueque sunt comprehensa; Philippus in Reformatorum gratiam expunxit a.) τὸ vere adesse, ne cogerentur omnes Confessionis societatem professi veram realemque presentiam credere; sed sufficeret, si intentionalem, atque imaginariam, vel potius nullam, statuerent. b.) Expunxit τὸ distribui, substituta exhibendi voce, quo inde oriretur licentia non credendi C. & S. C. manu Ministri factam distributionem, vel etiam respectu manducantium & bibentium, utut indignorum, oralem participationem. Exhiberi enim, etiam de nuda promissionum, & bonorum inde resultantium*

applicatione intelligi posse, adeo Reformati non negant, ut etiam hoc sensu sacramenta signa *exhibitiva* appellare non dubitent. Denique c.) integrum *elenchum* omisit, Cinglianis gravissimo Lutheri consilio figillatim oppositum, quo his, perinde ut Nostri, ad illius societatem pateret aditus. Hæc est notabilis plane mutatio minime omnium pro mere *Circumstantiali*, vel, ut *Strimesius* loquitur, *Accidentaliter* habenda, siquidem in *non-mutata* vera, realis, & substantialis præsentia C. & S. C. docetur; in *mutata* vero non creditur. In *illa* oralis, & indignorum manducatio innuitur; in *hac* dissimulatur: In *illa* secus docentes improbantur: in *hac* relinquuntur.

§. XVII. Hoc autem de mutata Confessione iudicio vehementer se lædi existimant Reformati. *Injuriæ sunt in A. Confessionem, & Philippum, qui variatam editionem, seu corruptam & depravatam, cum A. C. primigeniam haudquaquam eandem, sed ab hac prorsus aliam clamitant, scribit Strimesius in Hex. p. 20. 25.* Negat igitur Eandem in *substantia mutata*: negat mutationem *privato* Philippi consilio susceptam, negat in *gratiam* Cinglianorum factam fuisse. De singulis ordine videamus. Negat I.) Confessionem in Art. X. esse *substantialiter mutata*: idque a.) quia verba utriusque Confessionis & *sententiæ substantialiter non differant*. Merito, inquit, ad *cujusvis sensum & intellectum* provoco, num *due dictæ propositiones* (in *non-mutata, & mutata Confessione*) *substantialiter inter se differant, quando posterior non tantum priorem supponit: (corpus enim & sanguis Christi dicta vere exhiberi in coena, eo ipso necesse est dici vere in coena adesse & distribui;)* sed & posterior priori plus dicit: Nam *adesse in coena C. & S. C. vere possunt, nec non a Ministro vere distribui, ut tamen non vere communicantibus, certe non omnibus, exhibeantur; at,*  
quan-

quandocunque in S. Coena a Ministro C. & S. C. communicantibus vere exhibentur, necesse est & ea adesse, & ea distribui. Hæc Strimesius in Hex. p. 26. a quo hic omnino dissentio. Nam differre propositiones illas : C. & S. C. vere adsunt & distribuuntur vescentibus ; Et illam : C. & S. C. vere exhibentur vescentibus : oculorum mihi, & aurium sensus suggerit. Substantialiter autem differre intellectus meus, & ratio ipsa dicitur. Posterior, fateor, priorem supponit, & plus quam prior infert : sed tum demum, si & vere adesse, & distribui, & exhiberi in significato primo, proprio, & ordinario ex mente piorum confitentium relinquuntur. Quicquid enim dicitur alicui vere, ac proprie exhiberi, ad modum substantiæ, id utique prius vere, & quoad substantiam, eo in loco, ubi exhibetur, & cum iis symbolis, sub quibus exhibetur, adsit, vereque ac realiter, ipsius exhibentis manu distribuatur, necesse est. Ast ubi deseritur significatus horum verborum primus & proprius, & exhiberi accipitur pro mere imaginaria materia celestis applicatione per fidem, quæque adeo nuda cogitatione atque conceptu fiat : quod facere Reformatos certissimum est : tum vero exhiberi nec veram realemque ipsius materiæ exhibendæ præsentiam, nec veram quoque & realem illius in, & cum symbolis distributionem supponit, quin negat potius illam ac destruit. Unde & Reformatorem gustui attemperaturus Confessionem Melanchthon verba illa, vere adesse & distribui non retinuit, & cum exhibitione conjunxit ; sed sustulit, & expunxit, ut qui facile intellexit : veram realemque præsentiam, veram quoque & realem sub, & cum symbolis distributionem cum exhibitione illa, qualem fingunt ac statuunt Reformati, conciliari non posse. Duas igitur superius adductas Propositiones substantialiter differre, tamdiu negari nequit, quamdiu certum

tum

tum est, Lutheranorum & Reformationum hoc in Articulo sententias *substantialiter* differre.

§. XVIII. Negat porro *substantialem* mutationem Strimesius quia b.) *omissio elenchi eandem non inferat. In Confessionis*, inquit, *cujuscunque articulis singulis subintelligi vel eadem (nempe elenchi in A. C. verba) vel similia videri necessario debent: Qui enim positive aliquid in Confessione factetur, ille id semper, quod secus se habet, diffitetur ac improbat. Ut proinde ommissio verborum istorum tautologia duntaxat evitatio habenda sit. Vid. Hex. p. 27. R. Positio & confirmatio Veri, est utique virtualiter rejectio & confutatio falsi. Interim sicut Scriptura non modo πρὸς διδασκαλίαν, sed etiam πρὸς ἔλεγχον est data 2. Tim. III, 17. ita plurimum interest religionis, ut non modo verum dilucide ponatur, sed falsum quoque clare & perspicue improbetur. Scopus enim Symbolorum præcipuus est discretio ab hæreticis, qui nisi expressus adhibeatur elenchus, obtineri non potest. Die Wahrheit der religion ist schon halb verlohren/ so man keine antithesin treibet/ und nicht schreyet: hütet euch vor den falschen Propheten: recte olim monebat Flacius wieder etliche Unwahrheiten Jo. Menii Jene anno 1558. lit. f. Scriptum est: Non dicas falsum testimonium. Non debui itaque probare tacendo mendacia alterius. Nam & hoc falsum testimonium est, non refutare mendacia, scribit Pence-rus in narrat. bist. de Coena p. 40. Instat Strimesius p. ead. similem, imo prolixiorum multo improbationem omissam deprehendi in A. C. invariata exemplaribus Cbytrai & Coelestini inter se collatis quoad Art. XIII. & XVIII. Que tamen ommissio nihil prohibuerit, quo minus utrumque exemplum pro genuino semper sit habitum. In plurimis quoque articulis e. g. III. IV. VI. VII. &c. ne a prima quidem adoratione improbationem contrariorum adjectam, nihilominus subaudiendam fuisse. Sed respon-*

respondetur: Aliud est elenchum *incuria, forte, aut negligentia omitti*, quod accidit Coelestini exemplo: aliud *studio, consilioque expungi*. Illud oscitantiae describentis est condonandum: *hoc fraudem, & insidias sapit, usumque Symboli potiore enervat ac destruit*. Aliud quoque est *nunquam adjicere*, aliud *adjectum removere ac tollere*. Illud ab arbitrio, prudentiaque contentium dependet: *Hoc autem veritati adversum, naturæ Symboli inimicum, & multis de causis suspectum est*. *Verba discrimen rerum (& sententiarum) indicantia non omitti, nedum expungi oportet*, iudicium est *Orw. Gratii, seu Becmanni, c. Liebhardum p. 71.*

§. XIX. Urgetur c.) *Philippus ergo, una cum Confessione mutata, insimulabitur hæreseos, si illa a non-mutata essentialiter differt. §. VII. p. 20.* Resp. 1.) quæ substantialiter differunt, non statim ut orthodoxum & hæreticum differunt. Lex & Evangelium, substantialiter differunt, nec tamen illa est orthodoxa: hoc autem hæreticum. 2.) Ipse Strimesius negat, quenquam postulandum esse hæreseos qui ab A. C. deflectat, in eoque ait differre Confessionem a Symbolis Oecumenicis, quod ab *illa* deflecti absque hæreseos suspitione possit, ab *bis* non possit. Quod si est, quo jure nunc inferet: *hæreseos postulari Philippum, si statuatur, Eundem substantiam Confessionis Nostræ mutasse?* Num hæresin de Coena conceperit fovēritque Philippus jam non est disputandi locus. Id certum est, vivo etiamnum Luthero eundem nutare coepisse hoc in Articulo, eo autem defuncto cum Calvino hujusque sociis palam colluisse. Quod vel ex iis quæ cum *Bremensibus, & Palatinis* sunt acta, satis elucescit: Et *Selneccerus* qui in eodem cum Philippo cubiculo dormivit, ex ore soceri sui *D. Dan. Greferi* commemorat, Phi-

E

lippum

lippum ei aliquando *Georgii Anhaltini*, Principis laudatissimi, *Concionem de Coena* inspiciendam dedisse, & addidisse: *Leset die/ ihr werdet viel Jeckeley dein finden.* Cumque *Calvinus* mortuo *Luthero* ad *Philippi* perpetuo provocaret consensum, compellatus ea de re a *Georgio Principe*, stomachosius respondit: *Man lasse mich damit zu frieden: soll ich drauff antworten/ so werde ich dem Fass den Boden austossen.* Hæc *Anhaltinus Grefero* narravit adjiciens: *So thut er uns allezeit.* Sed & cum aliquando *Christoph. Württembergicus* *questiones quasdam de Coena* solvendas ad *Philippum* misisset, hic nihil aliud respondit, quam: *Parisios mitteret ad Sorbonnam.* Quas literas sibi & *Brentio* lacrymabundum ostendisse *Christophorum J. Andreae* testis est. *Vid. Acta Colloqv. Hertzberg. Servesta ed. anno 1595. p. 185. seq.* Collusisse ergo *Philippum* cum *Cinglianis in Art. de Coena* est extra controversiam. Verba vero 3.) mutatae ab ipso Confessionis quanquam *in se spectata*, & *in primo, proprioque & ordinario significato accepta* non sunt hæretica: (verum enim est, C. & S. C. nobis exhiberi vescentibus;) tamen, si cum *non-mutata verbis*, ac formulis comparentur, lubrica sunt, & cum *prodenda veritati*, tum *heresi occultanda* idonea, eoque nomine rejicula & suspecta. Præcipuum enim Confessionis officium est, *veritatem planam ingenuamque proponere, & ab adversariorum corruptelis, & cavillationibus tutam prestare.* Quod ipsum cum eo usque neglexerit *Philippus*, ut non modo veritatem clare perspicueque non proposuerit, sed & propositam studiose obfuscaverit, & *pro dilucidis obscura*, *pro ingenuis dubia* substituerit, rotumque adeo *Articulum secus docentium* palato *attemperarit*, omnium merito reprehensionem incurrit, ut qui privati hominis modum excessit, veritatem-

temque deferuit, & aduersariorum infidiis opportunam reliquit.

§. XX. Sed hic d.) *Strimesius* objicit: *Ordines* has duas Confessiones non discriminasse, sed utramque unam eandemque reputasse *ib. p. 18. 20. & 50.* Petimus autem distingvi tempus hactenus latentis, ac tempus deprehensi doli, atque erroris, insidiose astuteque sub mutata illa Confessione occultati. Scimus anno 1561. convenisse *Numburgi in Misnia* Principes ac Ordines Protestantes, eo maxime consilio, ut deligeretur ex variis editionibus A. Confessionis una aliqua, eademque denuo nominibus omnium subsignata mitteretur ad *Ferdinandum I. Imp.* quo liberarent sese ab illa mutationis suspicione, suamque in doctrina constantiam Pontificiis probarent, qui anno 1559. in Comitibus Augustanis nostris objecerant, *in tanta varietate editionum ne constare quidem, quenam sit vera Confessio A.* Imo defecisse Nostros a doctrina Majorum suorum, nec illa docere amplius & statuere, que olim *Augustæ Vindelicorum* anno 1530. professi fuerint. Atque hic quidem non nego *Palatinum, & Saxonem Electores,* voluisse t. t. ut præ reliquis editionibus retineretur illa, quæ anno 1540. a *Philippo* mutata prodierat, ratos, non differre posteriorem a priore, quoad substantiam, sed tantummodo copiosius expositam, ac declaratam fuisse. Sed a ceteris, qui aderant, Principibus, membrisque Imperii obtinere non potuerunt, pertendentibus, retinendam esse primam editionem anno 1531. *Vittembergæ impressam, & αυτογεάΦω* conformem. Quam in sententiam ipse etiam *Palatinus, & Saxo* concesserunt. Interim eorum voluntati illud tributum est, ut nova præmitteretur præfatio, in eaque mutata quoque Confessio laudaretur, tanquam quæ cum primo exemplo prorsus consentiat, eademque

copiosius declarēt, quæ brevius in prima illa, minime-  
que mutata, sint posita. Damus etiam, Præfationem  
lectam eo in conventu, & a plerisque probatam esse.  
Sed & illud, pace adversariorum, adjicimus, a.) *Palat-  
tinum & Saxonem t. t. habuisse Ministros Calvinismo clam  
deditos*, eaque de causa mutatae Confessionis studiosos,  
quos inter præcipui fuerunt *Ehemius*, & *Cracovius*, quos  
etiam eandem illam præfationem scripsisse, eique Con-  
fessionis mutatae laudes, non sine artibus, inseruisse sci-  
mus. Neque enim b.) omnes quotquot affuerunt t. t.  
Principes Ordinesque probarunt eam: quin potius eo-  
dem in conventu *Jo. Fridericus II. Dux Sax.* se nec præfa-  
tioni isti, nec communi utriusque Confessionis subscri-  
ptioni assentiri posse multis rationibus ostendit, tandem-  
que subiratus discessit. Sed & c.) *eodem anno d. 27. Au-  
gusti multi Protestantium Status Luneburgi congressi sunt,*  
*illique tum Præfationi, tum Melanchthonis mutationi a-*  
*perthe obnuntiarunt.* Quod idem per literas fecisse *Electo-*  
*rem Brandenburgicum, Wolfgangum Palatinum, & alios, Sel-*  
*neccerus refert c. Pezelium p. 87.* Imo vero d.) *anno sub-*  
*secuto 1580, iidem illi Principes in præf. Formule C. sancte*  
*ac religiose testati sunt, sese Numburgi, & alias, postero-*  
*rem Philippi editionem NB. nunquam ea in sententia acce-*  
*pisse, que a priore illa minimeque mutata ulla ex parte dissi-*  
*deat.* Unde liquidam veritatem corrumpere studuit  
*Ort w. Gratus, dum c. Liebb. p. 73. scripsit: Principes priorem*  
*editionem juxta posteriorem intelligi voluisse.* Isti enim Prin-  
cipum declarationi e.) magna inde fides accedit, quod *ea-*  
*dem in præfatione Numburgi scripta, in qua laudata fuit*  
*mutata Conf. Cinglianorum de S. Coena error omnium suffra-*  
*giis est rejectus, quod minime facturi erant Socii, liqui-*  
*dem vel isti errori latibulum præbere, vel posteriorem e-*  
di-

ditionem alio, quam quatenus cum *priore* conveniat, sensu, accipere voluissent. Damus igitur non discriminaſſe Confessiones *mutatam*, & *non-mutatam* Principes, sed *quoad latuit* dolus, qui simul ac *deprehensus* fuit, ac *patuit*, *mutatam* nunquam probarunt. Non etiam confundi debent *ſententia Principum* recte ſtuentium de doctrina, cum *ſtudiis* eorum, quorum t. t. *conſiliis* regebantur. Illi non alia de causa probarunt, quam quia *ſubſtantialiter* non differre ſpecioſis quibusdam rationibus erant pervaſi. Hi vero id unice dabant operam, ut *mutatam* C. laudando aditus patefieret ad invehendum Cinglianifmum, quibus etiam conſiliis alicubi reſpondiſſe eventum incommodo noſtro didicimus. Vid. *Hiſt. A. C. Wolfio* oppoſita f. 439. ſq. quam ſe auctoritate publica ſcripiſſe ipſe *Seneccerus* teſtatur in *der Wieder-Antwort* c. Pezelium p. 147. Add. *Oſtander H. E. ſec. XVI. L. III. c. 42. p. 713. Hönius in Hiſt. Conv. Numb. & alii.*

§. XXI. Obvertitur poſtremo e.) *multos e Noſtris, Brentium, Andream, Chytraum, Chemnitium, mutatam confessionem* laudaſſe, & ſpecialim *Seneccerum multa in eos*, qui audeant improbare, *convitia conieciffe. Mentzerum quoque mutatam Confessionem in Proleg. ad A. C. ab omni crimine abſolviſſe.* Vid. *Hexas* p. 18. 19. 21. Conſentit Auctor *der Erwegung* p. 120. 122. 123. Reſpondemus a.) *Brentium* probaſſe mutationem Confessionis, falſiſſimum eſt. *Jac. enim Andree*, quo ille familiariter eſt uſus, *Hertzbergæ in Colloquio* eſt teſtatus, *ſape ſe audiviſſe Brentium, ea de mutatione querentem.* Vid. *Act. Serveſtana* p. 92. Laudaſſe in *prima Saxonie ſue editione Chytraum*, largior: in *altera* vero diſpunxit, quod eodem in Colloquio obvertenti *Amlingio* reſpondit, non *Chemnitius*, cui id tribuit *Arnoldius l. c. f. 214.* ſed *Seneccerus*, qui & ipſe t. t. faſſus eſt,

multa se olim scripsisse, quæ jam publice retractet, quibus nimia Conf. mutatae laudes haud dubie sunt accensendæ. Menzero id tribui a Strimesio p. 20. quod mutata C. in ipsis rebus plane cum prototypo convenientem habuerit, maximopere miror. Quando enim l. c. scripsit: *Qui mutatam Confessionem admiserunt publice testati sunt, hætenus, & non aliter, a se recipi, quatenus in ipsis rebus plane conveniat cum prototypo*: facile apparet Eum tò quatenus non causaliter, sed restrictivè sumpsisse, mutatamque C. admittere voluisse, non quia, sed quatenus & quoad cum prototypo conveniat. Ex parte ergo probavit, non toto: sub restrictione, non simpliciter. Ad do b.) distingvi oportere inter *usum & abusum* mutatae Confessionis. Si quis enim Articulum ejus X. proprie, literaliterque intelligat, &, ambigue licet positum, in partem meliorem accipiat, & ex mente Lutheri, & non mutatae Confessionis explicet, tolerari utique, si non ut *ingenua Confessionis particula*, saltem ut *bona quædam sententia* poterit, cum nihil *palam falsum impiumque* contineat. Unde & Chytraeus in quadam ad Kuffovium Epistola p. 1185. scribit: *si sana & Lutherana explicatio retineatur, eam rejici non posse*. Si quis autem eundem sensu sequiore accipere, ejusque verbis ad *premendam*, vel etiam *prodendam veritatem*, & *occultandum*, *invebendumque errorem* abuti velit, quod fecisse nonnullos hucdum meminimus, tum eundem ut *ambidextrum*, nec edenda Confessionis, quæ semper *ingenua* esse debet, idoneum, omnino rejiciendum esse putamus.

§. XXII. *Substantialem esse Conf. mutationem* hucdum confutatis adversarii argumentis ostendimus. Videamus II.) num *Philippus, conscio Luthero, & publica auctoritate, an vero privato suo consilio Confessionem mutaverit?* Ac prius quidem illud affirmarunt olim Theologi Electora-

Electores Saxonici in *Colloquio Altenburg.* contententes: die  
in etlichen wenigen Worten gebesserte Confession sey noch  
vor dem 40. Jahr / und also nicht allein noch bey Leben Lu-  
theri / sondern auch NB. mit seinen Vorwissen / Rath / Ver-  
mahnung / und Bewilligung ausgegangen. Vid. *Acta Jene*  
*edita anno 69. fol. 463.* & wahrhaftiger Bericht der Theolo-  
gen zu L. und W. von dem *Colloquio Altenb. anno 1570. in 4t. p.*  
*14. b.* Tum vero idem statuit Pezelius, quem hoc no-  
mine mendacii postulavit Selneccerus, in der Gegenantwort  
pag. 30. nec non Crocius de *soc. A. C. pag. 140.* Heideggerus in  
*Introd. Ambrosius Wolfius in Histor. A. C. pag. 315.* cui applau-  
dit Auctor der Erweckung pag. 364. imprimisque Strimesius,  
qui in *Hex. §. VI. pag. 17.* scribit: *Melancthonem vivo Luthe-*  
*ro, & aliis August. Confessionis exhibitores, cum varietatem*  
*exemplorum plurimum observasset, de edenda expolitiori & cor-*  
*rectiori consilium & cepisse, & nemine contradicente execu-*  
*tum esse.* Respondemus autem: *conscio & adhortante Lu-*  
*tbero, probantibus etiam Ordinibus, mutatam esse Confes-*  
*sionem, multo falsissimum est.* Scimus eadem jactasse  
Electores Theologos Altenburgi, quorum etiam au-  
thoritate Reformati sese, & in his *Strimesius*, perpetuo tu-  
entur. Sed & illud meminimus, Theologos illos, dem-  
pto Ebero, fuisse *Crypto-Calvinistas*, atque e vestigio con-  
futatos, mendacique convictos a Thuringicis & Ducali-  
bus, his verbis: Die Herren mögen gemacht thun / und nicht  
so vermessenlich reden / wieder das achte Gebot. - - - Es  
haben NB. etliche aus den unsern / von M. Rorario seel. wels-  
cher D. Luthers Bücher in Druck verfertigt NB. mehr denn  
einmahl gehöret / daß der Mann G. Ottes Lutherus / heiliger  
Gedächtniß / sich etlich mahl darüber beklagt / daß man so oft  
die Augsp. Conf. ändere / und zu Philippo gesagt: Lieber  
Philippe / das Buch ist nicht euer / sondern der ganzen bekenn-  
nenden

nenden Kirchen Buch. Will Euch deshalb nicht gebüh-  
ren/ solch Buch so oft und mancherley Weise zu verändern.  
Vid. *Acta ed. Jen. fol. 464. b.* Idem confirmant Theologi  
*Tangermündenses* in suis ad *Saxonem & Brandenburgicum*  
literis, quæ extant in *Hutteri C. Conc. c. XXI. pag. 630. & Def.*  
*Pup. Sax. p. 343.* Frustra hic excipitur: *Philippum Conf. ne-*  
*mine contradicente mutasse.* Contradixit enim a.) *Luthe-*  
*rus*, quod supra *Rorarii* auctoritate ostendimus. Et *Sel-*  
*neccerus Hertzbergæ* in Colloquio est testatus, se, quoad ver-  
satus sit *Vittembergæ*, versatus autem est diutissime, nunquam  
audivisse, quod in mutationem *Lutherus* consenserit. Vid.  
*Acta ed. Serv. p. 92.* Quid? quod ipse *G. I. Vossius* in *Vol. E-*  
*pist. n. XIV. f. 40. 41. in scio Lutero mutatam esse* fatetur. Si-  
mulac vero intellexit in *Art. de Cæna* nutare *Philippum*,  
querelas hoc nomine detulit ad *Electorem*, & ut in offi-  
cio contineretur, oravit. Imo parum abfuit, quin publice  
confutaret, etsi metu scandali consilium mutavit, teste  
*Seckendorffio* in *Hist. Luther. L. III. f. 448.* Conf. omnino *Hist.*  
*A. C. f. 317.* Contradixit b.) *Electo Saxo*, qui ab *Luthero*  
edoctus, quo loco res essent anno 1537. d. V. *Maji* per *Pon-*  
*tanum* questus fuit de illa mutatione, sine suo, *Ordinum-*  
*que Protestantium* consensu, suscepta. Imo vero objur-  
gari curavit eadem de causa *Melanchronem*, quod ip-  
sum adeo perturbavit illius animum, ut cum *Crucigero*  
de deferenda hac *Academia* cogitaret. Cujus argumenti  
scheda in *Tabulario Saxonico* etiam num extat, tum aliis,  
tum *Seckendorffio*, visa, ita ut non fuerit, cur de ejus veritate  
olim *Ortwinus Gratius* dubitaret. Vid. *Seckend. L. III. Sect. XVI.*  
*§. 60 f. 165. Conf. §. L. f. 142. & CVIII. 448.* Denique contradi-  
xerunt c.) reliqui *Ordines Protestantes*, ut qui in *Colloqu. Ra-*  
*tisponensi* anno 1541. objicientibus *Pontificiis* toties muta-  
tam *Confessionem*, sancte & religiose testati sunt, se inhæ-  
rere

rere primæ, minimeque mutatæ, eique soli Confessione quæ anno 1530. Augustæ sit exhibitæ. Philippus autem t. t. restituit ea, quæ ante expunxerat, sententiamque suam in peculiari ad Palatinum scripto his verbis aperuit: *Per spicue testati sumus: Nos amplecti & tueri communem consensum Ecclesie Catholicae, quod in Cæna Domini, consecrato Pane & vino, VERE ET REALITER ADSINT & sumantur C. & S. Domini. Testati etiam sumus: NOS IMPROBARE EOS, qui negant adesse, & vere sumi corpus Christi. Vid. Hist. A. C. fol. 300. & 306. & def. Pup. Sax. p. 374. seq.* Denique contra dixerunt d.) Boni omnes, quod *Wigandus in Histor. A. C. p. 31. & Altenburgici l. c. insinuant.* Nemine ergo contradicente mutasse Confessionem Philippum, quod dicit *Strimesius*, prorsus a veritate alienum, multoque falsissimum est.

§. XXI. Restat, ut III.) videamus, *an in Reformato- rum gratiam suscepta sit a Philippo mutatio?* Negat id de- nuo *Strimesius*, duabus maxime rationibus, ut apparet, in- ductus. Primo a.) *quia explodenda Transsubstantiationi u- nice sit instituta, in Hex. p. 25.* Sed enim vero 1.) verba no- stræ Confessionis *Transsubstantiationem Pontificiam* sape- re, calumnia est, paulo ante in auctorum caput rejecta. Quod ergo nunquam affuit, excludi aliqua mutatione non debuit. 2.) Si demus, *Transsubstantiationem involutam fuisse, id sequitur, elenchum Cinglianis manifesto & initio oppositum, & in eorum deinceps gratiam omissum fuisse 3.)* Imprimis notari debet, non *Germanicum*, in quo solo ver- ba illa leguntur: *Unter der Gestalt des Brods und Weins;* sed *Latinum* a Philippo mutatum esse exemplum, quod negari non potest. Quomodo igitur illud exemplum *ad explodendam Transsubstantiationem unice potuit mutari, in quo verba, quæ sapere Transsubstantiationem dicuntur, nunquam extiterunt?* Ast urget secundo b.) p. 28. adver- sarius: *mutationem istam Calvinianæ sententiæ nulla ex par- te magis favere, quam ipsum invariatum articulum: Et Cal-*

*vinianos sub invariata perinde sententiam suam occultare posse, ut sub variata.* Respondemus: si hoc, cur ergo *variata* Confessionem *invariata* anteferunt, imo anteferendam esse contendunt? Cur pro auctoritate mutatae Confessionis tanto argumentorum numero propugnant? aut, ubi ad subscribendum se offerunt, *tria*, cum *Bergio*, vel *plura* etiam, capita excipiunt? Cur eorundem Majores primæ isti in comitiis subscribere recusarunt? Cur mutandi necessitatem ob incrustatum Transsubstantiationis dogma defendunt? Si eadem facilitate suam sub *mutata* Confessione occultare sententiam possunt, qua sub *non-mutata*, quo jure se *utriusque* socios profitentur ac jactant? Occultare sententiam, & latebras quærere, *insidiosus est, & mendacis*, non *ingenui Confessoris*. *Errori & mendacio*, pigmentis, coloribus, latibulis opus est: non *veritati*, quæ lucem, candorem, simplicitatem amat. Cumque id sua quemque ratio doceat, sententiam, *quæ occultatur*, & eam, *sub qua occultatur*, *substantialiter differre*, qua specie antea negabat Strimesius, Calvinianorum sententiam a non-mutatae Confessionis opinione substantialiter differre, aut quo jure illius sese Confessionis socios appellabunt, sub qua *latent* ipsi, & ingenuis Confessoribus *insidias* struunt? Quod tamen *pari facilitate* sub *non-mutata*, qua sub *mutata*, fieri posse nego, dum, quoad sensus verborum *primus ac proprius* (qualem, pro indole confitendi, ab auctoribus usurpatum fuisse semper est præsumendum) defendatur, illud *vere adesse ac distribui* in non-mutata Confessione nisi de vera realique, & substantiali præsentia C. & S. C. in S. cœna accipi nequeat, appositusque elenchus contrariam sententiam, quam tamen adhuc Reformati tuentur, manifesto stringat, & improbet. Sed hæc pie meditanda relinquimus adversario: Nos, persolutis Numini gratiis, hoc in *spiritu* finimus: *Sanctifica nos, PATER, in veritate verbum tuum est veritas! Amen!*

S. D. G.

Gilb

33833

1280-

**Sammelband.** 33 Schriften zur Reformationsgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu  
Überapparat angebracht

4/187/10

